

2.

SUPREMAC
IN
PHILOSOPHIA
LAUREAM

qua
Rectore Magnifico,
Clariss. & Excellentissimo Viro
DN. M. THEOPHILO
ÆNETIO, PHILOSOPHIÆ NA.
turalis Professore celeberrimo,

à
Decano Spectatiss.
Viro Excellentiss. & acutissimo
Dn. M. MICHAELE WOLFIO,
Metaph. & Logices Professore laudatissimo,

IN ALMO JENENSIVM Athenaeo
d. 2. Augusti 1621.

Solenni & publico ritu
conferebatur

Viro Reverendo & Præstantiss.
Dn. JOHANNI MOLDENIT EIDERO-
STADIO-HOLSATO, Pastori Ecclesiæ Cotzen-
byliensis designato,

hisce συγχάρασι εὐκτηκοῖς condecoratam volunt

Dn. Præceptores, Fautores & Amici.

J E N Æ
Typis TOBIÆ STEINMANNI.



Quæ Pietatis amor, studium Virtutis, & ardor
Linguae, quam purè Biblia sola docent,
Quæ Sophie benè culta tibi noctesq; diesq;
Contribuunt meritis præmia justa tuis.
Hæc ego Moldniti grator tibi corde paterno,
Fructus & ut redeat plurimus inde precor,
Fœnore quem largo Christi plebs sentiat olim,
Quæ fuerit curæ subjicienda tuæ.
Te veluti plures inter sacer ordo Senatus
Phebæi primum jussit habere locum.
Sic divina tuos Clementia dirigat actus,
Ut ne postremis annumerare, Vale.

Johan. Major D.



MOLDNITTE maximum chori SOPHUM decus
Mensq; per biennium mea affecla;
Linguae celebris artifex Prophetica,
Jam jam future præco dogmatis sacri,
Eccur putas me partem honoris addere
His posse versibus tuis honoribus?
SOPHUM SALANAE te SENATUS inclutus
Primo Magistrum collocavit ordine.
Quid huic honori honoris adjici queat?
Quin ergo gratulationis hoc vice
Subnecto. Christus hos honores prosperet.
amici affectus ergò f.

Johan. Gerhard D.

Es

ET meritò primos Tibi non gratarer honores
MOLDENIT, ò nostræ portio magna Scholæ?
Gator & ut Gradus hic Tibi commoda multa, decusque
Æternum, voveo, conciliare queat.

Amoris & honoris ergò f.

Johan. Himmel D.

PRIMUS es, atq; adeò veniunt tibi premia tanta,
propria sunt nostri quanta Magisterii.

Non dubium est, quin sit deinceps majora daturus
JOVA, quod ex animo gratulor atque precor.

ἐκ τῆς ἀγάπης καὶ χεῖμα faust. gratulationis
ergò faciebat

*Mich. Wolfius M. Log. & Metaph.
P.P. & hoc temp. Colleg. Phil.
Decanus.*

Ordine quæ justo fiunt, bene facta putantur.
In tenui labor est, tenuis non gloria: certi

Res operis, nec spem fructus eludere possunt.

Moldnitz mihi testis eris. Tibi sacra tot annos

Versanti poterat summo pietatis & artis

Theiologia caput redimire decenter honore,

Tanta tibi rerum primæq; peritia linguae,

Et vis eloquii, vitreo quæ fonte Sionis

Manat, & effundit puros argentea rivos.


Non tamen hoc placitum: rogare priora decori

A 2

Jura

*Jura Magisterii, neq; festinare, sed imos
Ascensu superare gradus sententia nuper
Visa tibi potior cedro Libanitide digna.
Hos igitur primos letus tibi grator honores
Et precor ut primi calcem terat ille secundus
Calce sua, metasq; sibi defigat easdem,
Nempe Dei laudes, summiq; parentis honores,
Cœlestemq; tui cœtus bone Chrtste salutem.
Tum patriæ certam sine vi, sine fraude quietem,
Nec tibi defiat privæ bona copia vitæ,
Quem mittet placido Superùm tibi gratia cœlo.
Hæc precor, hæc mecum votis communibus optat
Salanipubes generosa frequensq; Lycei.*

Wolfgangus Heider.
M.



MOLDNITE, Eusebies verende cultor,
MOLDNITE, ô Sophies venusta proles,
MOLDNITE egregium decus virorum,
quos Virtus vario decore adornat!
Quem Salana tibi refert tiaram,
quem Salana tibi refert honorem,
quem Salana tibi refertq; laudem,
hæc digno retulisse quis negabit?
Nemo est. Hinc etenim gradu decoro
Splendidè ingrederis phalange primâ
pôstus. Hæcce tiara, honorq; tantus,
& laus spendiduli loci, tibi sint

& si

& simul patriæ tuisque fausta,
Septenis tibi bis precor Phaleucis.

*Commensali & amico dilecto
boni ominis ergò f.*

Salomon Glasius S S. Th. L.

MOLDNITE Eusebies decus immortalæ, sacrarum
proles Musarum, delitium Charitum:

*Fulgere Philosopho dum te vult Phæbus honore,
quanam digna satis carmina, vota, dabo?*

*Te mirè sacrum omne Sophos, Sophos omne prophanum
condecorat; meritò hinc mactus honore cluis.*

Ore tibi Latio dedit, Hebræo atq; Pelasgo

Musa loqui, meritò hinc mactus honore cluis.

Moribus es comitis, virtutum gratia dives

Te cingit; meritò hinc mactus honore cluis.

OPTIO & hinc Phæbi decrevit in agmine docto
præmi jura loci maxime honorifica.

*Euge MAGISTERIO flore MOLDNITE Sophorum,
augeat id quodam magnifice Eusebie!*

fac. gratulab.

*M. Philippus Horst Brunsvigâs Poët.
Cæsar. Colleg. Philos. Adjunctus.*

Sic est: nonidum flos atq; medulla Sororum
MOLDENIT, Eusebies Cultor, Ocelle, decus

Sic est: nulla viros comitatur gloria inertes,

Nec nisi certanti pulchra corona venit.

Hæc memori repetens animo tu miles in arvis

certasti Aoniis non sine laude tuâ:

Hinc tibi certanti Pallas Tritonia nectit

Laurea ferta ullo non peritura die.

A 3

Ergò

Ergò tibi meritos συγχαίρων grator honores
Et faxit, vireat laurea parta, DEUS.

*M. Job. Eschenburgius Lubecàs Facult.
Philos. Adjunctus.*

Sunt tria quæ faciunt Studiosum vincere pulchrè,
Ars, Virtus, Sudor, cur tria forte rogas?
Nimirum vitium virtus, ars vincere docta
Barbariem, sudor deniq; desidiam.
Hæc eadem faciunt gnarum te vincere, IANE,
Est tibi dux virtus, est quoque Musa comes.
Hinc Deus & Phœbus Musarum germine cinctus
Præmia pro meritis non moritura parat.
O factum benè! sic laudabit Patria, & ulnis
Suaviolis, ridens, te reducem capiet.
Quin & ad infignes te mox accerset honores,
Munia, cum clara virgine, clara dabit.

*amico & commensali colendo faustæ adclamationis
ergò adposuit*

M. Hieronymus Prætorius Hamburg.

Qui non desidias molles, non marcida luxu
Otia, non somnos etiam sectatur inertes,
Sed multos perfert cerebro sudante labores,
Huic non immeritò Phœbus decernit honores.
Moldenit, Hebræam linguam & problemata sancta,
Eximiè calles, divini ex Codice verbi:
Et quoniam Sophicis etiam invigilasse libellis
Non tibi displicuit, præclara brabeia reportas,
Imponit capiti Mitsnephet & ordo Sophorum,
Et te condecorat titulo, alma Salana, Magistri.
Ergo tibi ex animo collatum grator honorem,
Omnipotens coeli Rector tua cepta secundet
Et donet sartam, vegoto cum corpore mentem.

Gerhardus Gratius.

SÆpè recusanti sua destinat incluta virtus
Præmia, quò dignis digna brabeia ferat.
Hessorum vidit te *Gissa, Salanaq;* vidit,
Sudantem in Clarii nocte dieq; vado:
Utraq; certamen vidit cum laude subisse,
Certatim lauru te decorare cupit.
Ast tandem Antistes, Sophiæ, summusq; Brabeutes
WOLFUS imponit ferta Magisterii.
Illa brabeia tibi sint fausta, colende *Magister*
Faustus sit titulus, Laurus, honorque precor.
Insuper & *Patriæ* concedat Laurea laudi,
Christiadum populo sit, precor, ista bono.
Sentiât hinc fructus res-publica, priva, levamen
Sentiât oppressum relligionis opus.

*M. Adolphus Bömers Stadthagâ-
Schaumburgicus.*



PRisca tulit varios atas in honore gemellos
Quos pariter nexos vinculum habebat idem,
Sic Amor atq; Dolor prudenti Numine Divûm,
Sic Honor atq; Labor sunt habiti gemini.
Nam dolor omnis amor, Labor omnis Honorq; molestus,
Fructus Amoris erit crux & Honoris onus.
Tergeminos etenim nemo, conscendit honores
Ni prius expertus grande laboris onus.
Claruit hinc veterum virtus, Romanaq; pubes
Hoc veræ æternum est laudis adeptæ decus:
Scilicet hæc quoties stipendia Martia fecit,
Vulnera perpeffi signa laboris erant.
Di sua ferventi bona præfixere labori
Et virtutis honos concomitatur onus.
Dulcis Honor docuit validos tentare labores,
Dulcis honor docuit murmura multa pati!

Ut bijuga est fratrum concordia grata duorum,
 Sic Honor, atq; Labor mutua amantur, amant.
 Hinc ad Musarum sine sedulitate laborum
 Pauci quiverunt scandere tecta viri.
 Corpus alit labor, atq; animus quoq; pascitur illo,
 Dulce fluunt Lymphae, si moveantur, aquae.
 Te quoq; fama fuit sacra delibasse Labori
 Et Phœbum studiis ritè piasse tuis,
 Hinc te Pegaseo mentem explevisse liquore;
 Nec fuit in vanum nuncia fama jocum.
 JANE novenarum decus immortalis Sororum,
 JANE polite, animi pars generosa mei!
 JENA probat nutrix studiorum & mater honorum,
 Nec ita prædixit clara GIESSA diu.
 Nam tua Philosophâ cinguntur tempora mitra,
 Tempora Apollineâ bacchare cingit Honor.
 Tam bene conveniunt & in una sede morantur
 Et Labor assiduus, atq; Honor eximius.
 Nunc tibi, quod rigidum fuit ante suave videtur,
 Jamq; tuus celebri gaudet honore labor.
 Hoc tua promeruit virtus; quam dulcis honorum
 Sæpe reluctans antem jam bene cepit amor.
 Sic te Philosophis studiis, sacrisq; vacantem,
 Cepit & emeritum duplus amare decor.
 Dignus eras doctæ cujus cessere juventa
 (Grande) senes. Animi est hæc tua canities,
 Nunc tua quo virtus magis, vel magis vita coruscet
 Nil (equidem indubius credo) superstes erit.
 Floreat ergo recens honor iste, vireseat & alma
 Laus tua, & albicomis fama vehatur equis.
 Vive diu Musis, multorum vive salutem,
 Vive diu (Deus hæc vota probet) patriæ.
 Ex alma Lipsensium animitus adplaudebit
 Petrus Gude ab Oidera Holsat.

Diversis diversa placent, non omnibus una
Mens, Pulcrum cuivis dicitur esse suum.
Urget castrorum turbam permagna cupido,
Incidat in casses præda petita suas,
Et lucrum sitiens mercator currit ad Indos,
Mille ferens Pelagi tædia mille viæ.
Intereunt sed opes, animi irritamen avari,
Artes & virtus, mens, Pietas q̄ manent,
Hunc comitatur honos, qui sedulus excolit artes
Pactoli hæ superant quas parit humor opes.
Mens tua sacrarum rerum est per fusa liquore
Et linguæ Soly mæ cognitione madet.
Artibus Aonidum, Moldnit, ceu rore rigatus,
Jure brabejâ capis magna *Magisterii.*
Grator, & exopto vireat tibi germen honoris,
Ingenii fruges quem meruere tuæ.
Vive, memorq; mei non duris utere fatis,
Jova precaturo mitia fata dabit.

Sinceri affectus ergò adjecit

Fridericus Lubbern Hildesh.

Popularitatis ergò Moldenit nihil
ad fingitur tibi heic, sed hercle veritas
dicenda & est habenda simplicissima.
Quod si nec eruditus esses artibus
cum te sciamus eruditum plurimis,
quod si nec expolitus esses moribus
cum te sciamus expoliturum & optimis,
ob maximam Linguæ sacræ peritiam
qua tu profecto & antecellis plurimos
MAGISTER esse jure Primus possies.

deproperabat

Hieronymus Müller.

Martia

M Artia qui intrepido seēt anctur castra vigore,
 Si contra adversas vires, hostiliaq; arma
 Audacis dent signa animi, nisug; procaci
 Hostium in arma ruant medii, si fortibus ausis
 Fortia facta patrent, referantq; ex hoste triumphum;
 Letisonos plausus, & gratæ murmura vocis
 Percipiunt, passimq; volant encomia laudum,
 Quin etiam condigna suis præclara reportant
 Præmia factorum meritis, nec munera desunt.
 Et tibi, JANE, decus Phæbi immortale, sororum
 Stella Novemfilium præfulgida, amabile semper
 Delicium fuit in castris sudare Sophorum,
 Theiologumq; sequi calido vexilla labore,
 Nec sine laude fuit, sed fausto Victor abisti
 Sydere, & insignis retulisti præmia palmæ.
 Te natale solum ad sacri fastigia honoris
 Evexit noviter; Nunc te Salana Magistrum
 Proclamat Pallas, & digna brabeia refundit;
 Sic audis Pastor, blanda sic voce Magister
 Audis, fac Sponsi titulus jungatur, & inde
 Vir perfectus eris, nam stat proportio trina.
 Interea ad plaudo, & tantos tibi grator honores,
 Corditus & voveo: Feliciter omnia cedant.

Suo sympatriotæ & convictori
 suavissimo honoris ergo fecit

Johann. Fabricius Slesvicens.
 Hof.



Qui totos jubet ingenii calores
 & mentis jubet immori vigorem
 totas sæpe Proserpinas ad usque

Musis,

Musis, & Sophiae intimis latebris
conatu invigilare pertinaci,
adscensu facili penetrat alta
Musarum, & titulos honoris aufert.

JANE delictum politioris
doctrinae, & Sophiae medulla sacrae,
quis te nesciat eruditione
pectus fortificasse multiformi,
& à Pallade roborasse mentem,
cui tu non sine laude singulari
nec fructu sine copioso
& non absque labore militasti:

Hinc tanti titulos honoris aufers,

& CLARUS SOPHIAE MAGISTER AUDIS.

Ergo quando novâ reversione
Mens est ad patriam redire cives,
Hac cum laude viaticatus ibis.

L. M. adposuit

*Petrus Fabricius
Slesvicens.*

Cernin' ut eximiis proles Mavortia fertis
 Ingreditur? meret id cura laborq; gravis?
Cernin' ut & laudes nomenq; decusq; coruscans
 Ingreditur? meret id cura laborq; gravis?
Cernin' ut insignem titulum Moldnitte Magistri
 Jena dedit? meret id cura laborq; gravis.
Sanè sic justum est, virtutem extendere factis,
 Nam non certantem gloria nulla manet.
Hunc ergò grator doctissime fautor honorem,
 Quem tribuit Sophiae jam tibi dia novum.

Faxit

Faxit, dum patrias repetis feliciter oras,
Hoc titulo patrias commoda mille, Deus.
Sic etenim celebris te fama sub axe manebit
Sic etiam in summo gloria summa polo.


*Debita observ. & ulterioris favoris
demerendi gratia apponebat*

*Ambrosius Eisingius Penicensis
Misnicus.*

F I N I S.







PHI

DN. M
ÆNET

Dn. M. M
Metaph.

Dn. JOHA
STADIC

hifce

Ty

ILIA

ILO
NA.

LFIO,
simo,

DERO-
Cotzen-

hifce

Sz

2.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK
LICENSED PRODUCT
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

